



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VI. Quomodo Deum, & angelos pro hoc statu cognoscat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

CAPVT VI.

1. *Affertio.*

Extenditur.

6. prongs -

Francisc. Suarez de Anima.

Notationes
aliquot pro
sequentibus
conclusionib

2.
A. Assertio.

3

dant connexionem cum effectibus, & ideo ex illis euidenter cognoscimus dari aliquam talem primam causam omnium, quam Deum vocamus. Rursus autem, ex eisdem effectibus naturam huius causae inuestigamus, cognoscimusque illam esse, suum esse per essentiam, quia nos potest ab alia causa ipsum recipere: aliis non esset prima. cognoscimus etiam esse infinitam, bonam, sapientem, &c. Atque ita formamus quendam conceptum proprium Dei, quo eius quidditatem aliquo modo assequimur: nunquam tamen, clare, & distincte: eo quod effectus ipsi Deum non representant, prout in se est, neque totam virtutem, essentiamque illius explicant.

Obiectio 4. Obiectio contra hanc conclusionem diluitur. Obiectus noster finitus est, Deus autem infinitus: non ergo potest ab illo cognosci, cum inter intellectum & intelligibile debeat inueniri proportio: finiti vero ad infinitum nulla talis potest cogitari. Et confirmatur ex 3. Phys. text. 65. ubi Philosophus pronuntiat, infinitum, quia infinitum est, ignotum esse. Respondeo infinitum duplex esse aut secundum essentiam, aut secundum molem, neutrumque valere à nobis perfecte percipi in hac vita, quia neutrius habemus propriam, adaequatamque speciem, neque infinito modo nobis competit cognoscere, posse tamen intellectum nostrum naturali suo lumine, finito modo, infinitum attingere, cum ad cognitionem non requiratur proportio certa in ratione entis, sed in ratione obiecti, & potentiae tantummodo, ut D. Thomas obseruat 1. p. q. 12. a. 1. ad quartum. Quidquid autem entitatem habet, comprehenditur adaequate sub obiecto intellectus nostri, ut cap. 1. visum est: ideoque est aliquo modo proportionatum cognitioni illius, proindeque potest ab illo utrumque intelligi. Ad confirmationem dic loqui ibi Aristotelem de infinito, ut importat negationem, quae non per se, sed per formam negatam cognoscitur. Sic ergo non finitum per finitum aliquid intelligitur. Vide D. Thom. ib. ad 2.

5. Quarta conclusio. Aliae substantiae separatae quantum ad actualem existentiam possunt optimis rationibus cognosci, non tamen demonstrationibus convincitibus intellectum, quidditas etiam earum imperfecte potest cognosci quantum ad communia quaedam praedicata, non vero quantum ad priora. In prima conclusionis parte loquor de actuali existentia, nam de possibili tantum demonstrabiles fortasse sunt creaturae aliquae spirituales. Primo quia nos euidenter cognoscimus animam nostram spirituales esse, atque in illo genere incompletam substantiam: euidenter quoque Deum esse substantiam intellectualem, & spirituales, summam, & primam in illo ordine, ac tandem scimus euidenter gradum substantiarum intellectualium esse omnium perfectissimum: ex quibus praemissis euidenter inferri potest possibiles esse substantias spirituales, & intellectuales integras in suo genere, mediasque inter substantiam Dei, atque animae nostrae. Secundo argumentari possumus possibiles esse praedictas substantias quia nec ex parte rei potest reperiri implicatio, neque ex parte Dei impotentia: ex quo recte etiam colligimus dari actu existentes, cum illa sint, quae maxime assimilantur Deo, & quae complent supremum gradum creaturarum intellectualium, qui in anima nostra inchoatus tantum fuit, atque imperfectus: naturae autem ordo postulat ad complementum vniuersi, ut substantiae completae, & perfectae in illo gradu inueniantur. Tertio effectus plurimi dantur in vniuerso, qui non nisi his substantiis possunt attribui, ut calor, motus, quos non decet Deo tribui immediate, quicquid Aristoteles hac in re dixerit, de quo alibi. Dixi tamen

hoc non posse demonstratione conuinci, quia nullus est effectus in vniuerso, qui necessarium omnino connexionem habeat cum substantiis separatis: nam omnes possunt à Deo fieri: unde cum tales substantiae non habeant ab intrinseco necessariam existentiam, ut suis etiam locis demonstratur, sed illam debeant recipere ex libera Dei voluntate: effectusque non omnino demonstrantur euidenter, Deum illas fecisse, iam sequitur cogente intellectum ostenditur, tamen euidentia quadam morali, quae homo minime peritax conuincitur.

Secunda pars conclusionis experientia euidenter patet: intellectus enim neque proprium conceptum alicuius Angeli format, neque vnum ab alio per proprias differentias distinguit, sed concipit tantum sub communi ratione substantiae incorporeae, & cum maxime distinguit per conceptus accidentales in ordine ad effectus, veluti si hunc Angelum distinguas, quia hoc caelum, v. g. luna mouet: sic enim Gabrielem concipimus sub ratione nuntij incarnationis, Michaelen sub ratione ducis, &c. alium sub ratione custodis, &c. Quibus ferè modis distinguunt Patres, ac Theologi Angelorum hierarchias, & choros. At propriis conceptibus ipsos concipere naturaliter est impossibile. Ratio est, quia nullus eiusmodi substantiarum effectus nobis innotescit, qui ostendat proprias earum proprietates, necerim praedicata, quae non sint omnibus communia. In quo late differunt à Deo: de illo enim plura cognoscimus, quae soli conueniunt, ac differentia causa est, quia licet Deus sit multo altior, & perfectior, habet tamen longe plures effectus in vniuerso, maioremque connexionem cum illis. Vnde magis cognoscibilis eundem eius substantia, quam Angelorum. Solum ergo in hac vita substantiarum separatarum quidditatem in communi, & confuse cognoscere valeamus: porro harum conclusionum doctrina Aristotelica est in 3. lib. de Anima: nam c. 4. docet obiectum proportionatum intellectui nostro esse quidditatem materialem, & c. 7. atque 8. sine phantasmate nihil nos intelligere. Secundo etiam Metaphysice comparat intellectum nostrum oculis nocturnis, quibus sicut intueri solem nequit, ita nos intellectum manifestissimam naturae, quales sunt spirituales substantiae. Demum 1. de partib. Animal. c. 5. Partem illam, inquit, nobilem, atque diuinam minus contemplari valeamus, quia admodum pauca illius sensibus parent, quorum beneficio, tam de ea ipsa parte diuinam, tam de aliis, quae nosse cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandique suppeditatur. Et infra: Res namque illas superiores tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius generis cognoscendi excellentiam amplius oblectamur, quam si haec inferiora omnia teneamus: constat ergo ex Aristotelis sententia illas substantias non posse à nobis perfecte cognosci.

Contra probatam vero conclusionem Plato, Platonique omnes opinati sunt, substantias has posse à nobis perfecte intelligi, ponebat enim ipse quidditates rerum materialium separatas dari ab indiuiduis, unde consequenter aiebat, sicut rerum materialium, quidditas potest à nobis perfecte cognosci, ita, & posse separatas ideas, in quarum contemplatione beatitudo nostra consisteret, ut videre est lib. primo Ethicorum cap. 6. Sed fundamentum Platonis inane est, & falsum ab Aristotele confutatur. Ex peripatheticis etiam multi voluerunt substantias separatas posse à nobis in hac vita perfecte cognosci, ut Alexander Aphrod. lib. suo de Anima, & 9. Metaph. cap. vltimo, & lib. 12. Item Themistius, Philoponus, & Simplicius in 3. de Anima, atque iterum Simplic. lib. de Animae immortalitate, Themist. paraphrasi in 3. de Anima.

SVAREZ
de Angelis, opus
6. d. 1. m. et
anima.

D. V.

nima, cap. 3. & 51. Commentator text. 35. & 36. Avicenna, & Avempac. quos refert Commentator, ac, quod mirum est, idem tenuit Albert. Maginus 12. Metaph. tract. 2. capit. 15. & in libello de intellectu, & intelligibili, qui omnes diuersis procedebant vijs, quas S. Thomas supra, & 3. contr. gentes elegantissime impugnat. Eorum ergo plures hoc nitebantur fundamento, quod intellectus agens non potentia animæ nostræ sit, sed substantia quædam separata, quæ discursu temporis efficiat nescio quam visionem cum intellectu possibili, qua mediante intellectus posset assurgere in cognitionem substantiarum separatarum confirmantque ex Aristotele 9. Metaph. ca. 10. ubi disertè affirmat posse nos cognoscere substantias simplices, & separatas, ac intelligendus videtur de perfecta, & quidditatiua cognitione. Libro item 12. Metaph. cap. 7. & 9. loquens de Deo, de intellectu neque diuina disputans, talia ait inesse illi perpetuo contemplationem, qualis inest nobis exiguo tempore, & 12. Ethicorum, cap. 7. felicitatem nostram sitam esse in contemplatione diuinorum. Atenim fundamentum allatum tam falsum est, quam quod falsissimum, vt ex dicendis constabit in 8. capite. Atque positio ipsa manifesta militat contra experientiam, modumque naturalem intelligendi animæ, quem nunc excutemus, contra rationes etiam supra factas, ac deniq. cōtra ipsum Aristotelem: in locis autem citatis haud dubiè loquitur de cognitione illa, quam humano modo possumus assequi.

7. Quid deniq. circa illam dissidij inter Thomist. & Scotist.

8. Notatio vna pro eadem conclusionē.

Circa eandem etiam conclusionem Scoti, ac D. Thomæ sectatores disensionem quarunt, Scotus quippe, vt refert Anton. Andreas 2. Metaph. q. 3. vult substantias separatas posse à nobis quidditatiue cognosci, quod etiam habet Ioannes de Gandauo 3. de Anima, quaest. 37. Thomistæ vero contendunt hoc impossibile, vt videtur in Ciceron. 1. p. q. 12. a. 2. de ente, & essentia, capit. 1. q. 14. Capreol. in 1. d. 2. q. 2. Ferrar. 3. contra, c. 55. in lundano 2. Metaph. q. 3. Egidio 3. de Anima, text. 36. Quæ certè dissensio de nomine tantum est. Nam omnes admittunt haud posse nos propriam, & distinctam quidditatem Angelorum cognoscere, quod, velint, nolint, experientia docet: omnes etiam fatentur posse nos attingere quidditates Angelorum confusè, atque in vniuersali: de nomine ergo dissident, nam Scotistæ eiusmodi cognitionem licet confusam, quidditatiuam appellant, Thomistæ autem quidditatis, non quidditatiuam appellandam esse reclamant.

Franc. Suarez de Anima.

lectum videlicet nostrum, in quo cum superiori illo substantiarum ordine conuenimus. Vnde S. August. 8. de Ciuit. Dei, c. 5. & 6. docet ratione intellectus nostri demonstrari, esse substantias intellectuales: aguntque Commentator, Sanct. Thomas, & alij. Quintus modus ex perfectione vniuersi & sic plures alij possent excogitari. Vide S. Thom. supr. & 1. p. & quaest. de spirit. creaturis, & quaest. de Anima, a. 10. opusc. 70. supra Boetium de Trinit. q. 4. 2. Metaph. lect. 1. Potissima vero difficultas circa hoc reitabat, quia anima separata potest substantias spirituales aperte intelligere: ergo & coniuncta corpori, alias impediretur à nobilissima operatione per existentiam in corpore, proindeque illud informaret prater naturam suam: hæc tamen difficultas tangit modum cognoscendi animæ separata, quod proprium locum habet infra libr. 6.

Notandum secundo, licet alias substantias spirituales imperfecte cognoscamus, attamen animam nostram à nobis attingi quantum fas est humano intelligendi modo. Nam euidentissimè scimus illam esse, & quidditatem eius etiam vsque ad vltimam differentiam specificam proprietates denique, & passionis. Ratio est, quia actus animæ nostræ proprii, potissimi effectus illius sunt, nobisque notissimi: illi vero explicant nobis propriam suam causam virtutem, vt ex hactenus dictis constat: at de angelis nullum talem effectum cognoscimus, Quare, &c.

Notatio altera.

C A P V T VII.

Utrum intellectus noster pro hoc statu pendeat in operatione sua ab operatione phantasiae.

DE substantia actus intellectus nostri nihil dicendum superest, prater traditum in libr. 3. de compositione actuum, & artificio actuum intellectus sufficienter in dialectica dictum est: solum ergo restat dicendum de modo operandi, quem intellectus noster habet: eritque sermo de intellectu in statu animæ coniunctæ corpori: nam de modo intelligendi in statu altero, infra dicitur libr. 6. Est autem in presenti quaestione certum intellectum dependere à sensibus in acquisitione specierum, vt supra ostensum est. Inuestigandum tamen superest, an post acquisitionem possit libere illis vti absque vlla dependentia à sensibus: Et quidem sensibus externis nihil operantibus, plana est responsio affirmans, vt experientia docet, & maxime in viris contemplatiuis, qui extasim patiuntur: Aristot. enim. Ethic. c. 8. docet viros diuinos & heroicis ita subditos esse contemplationi, vt nulla alia sensuum actio, seu affectio illis super sit tribuenda: an vero intellectus ab interno sensu, seu phantasia dependeat, videtur pars negatiua etiam vera. Primo, quia intellectus constitutus iam est in actu primo per species, vt ponimus, estque potentia perfectior ipsa phantasia: habensque ex se virtutem, & lumen sufficiens ad operandum, non est ergo cur à phantasia dependeat, vnde Aristot. 3. de Anim. text. 8. & libr. 2. c. 5. ait intellectum acquisita iam scientia posse operari cum vult, neque indigere extrinseco motu. Secundo intellectus sepe intelligit ea, quorum phantasia nullas habet similitudines veluti rerum communem spiritualium, & c. ergo in ea operatione saltem non pendet à phantasia. Tertio, quia alias impediretur saltem intellectus à sua operatione ligatis externis sensibus, tunc enim, & phantasia ligabitur, imò exterior ipse sensus ligari non posset, nisi ligata phantasia, quæ est quasi principium omnis exterioris sensationis. Consequens autem est contra dicta: ergo, &c.

Pro toto hoc c. videndus aug. hor. 1. 2. de Grat. c. 4.

Arg. 1. paria neg.

Arg. 2.

Tertium.